PHARMACOPOEIA

Rich.d Smith, Surgeon

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM

LONDINENSIS.

DUBLINI:
IMPENSIS GULIELMI WILSON.
M,DCC,LXXII.

78,654
23.b.55

H8·31
R85

Imprimatur

Hic Liber, cui Titulus, PHARMACOPOEIA COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS.

Dat. ex Ædibus Collegii in Comitiis Censoriis, Martii *Menſis* 7mo. 1745.

HENRICUS PLUMPTRE, *Præſes.*

Robertus Neſbitt,
Abrahamus Hall,
Gulielmus Bedford,
Thomas Adams,
} *Cenſores.*

UNIVERSITY OF MANCHESTER
MEDICAL
LIBRARY

RMA-
ALI
SIS.

is Cen

æses.

es.

LECTORI.

PLACUIT *Præsidi et Collegio, novæ inquisitioni subjicere* Pharmacopœiam Londinensem, *quod efflagitare equidem videbatur celebriorum medicorum præscribendi modus sanior et contractior; exigebat præterea institutæ societatis ratio, cui mandatum erat hoc officium a Rege et regni Senatu, ut publicæ saluti invigilaret.*

Dedecus omnino fere visum est, et opprobrium meritum, si ulteriùs scateret medicamenterum apparatus, inconcinnis et inconditis misturis, quas intulit primæva insscitia, intrusit venenorum metus, aut perpetua fastidio: quibus ut obviam irent prisci, ferè noti erant in antidotorum investigatione, quæ plerumque superstitiosè et aniliter petierunt ex oraculis, insomniis, et commentis astrologicis; et inani spe freti, antidota compesita efficiendi, quæ singulatim reprimerent cujusvis generis toxicum, quicquid contagioni adversari animo effinxerant, acervo adjecerunt. Hinc exclevit medicinæ simplicitas, invaluitque miscendi, augendi, et accumulandi luxuries: Exinde in nostra tempora fluxit labes. Nos quantum licuit, cumulum amoliri conati sumus, nonnulla verò, vi consuetudinis cedentes, posteritati corrigenda reliquimus.

Nulli certè usui esset, singulas immutationes enarrare: de fine autem instituti operis te admonitum volumus, nec curæ, nec studio nobis fuisse, Pharmaceutices universæ jcrinia compilare; attamen, ni fallat opinio, ditavimus essatim Apothecas, non tantummodo medicamentorum numero, sed elegantiâ, et simplicitate; ut in promptu habeant artis professores omnino efficacia, explorata, minimèque ingrata remedia, unde citò, tutò, et jucundè sanare possint: honestum hoc curantibus votum, et laudabile; ægrotis consilium acceptissimum.

ORDO

ORDO CAPITUM.

Ponderа et Mensuræ	Page 1
Materia Medica	2
Præparationes simpliciores	6
Conservæ	9
Condita	10
Succi	11
Extracta et Resinæ	ibid.
Olea per expressionem	14
Olea per distillationem	ibid.
Sales et Salina	16
Resinosa et Sulphurea	24
Metallica	25
Aquæ stillatitiæ spirituosæ et spiritus	33
Decocta et Infusa	37
Vina	41
Tincturæ spirituosæ	44
Mixturæ	51
Syrupi	52
Mella et Oxymelita	57
Pulveres	59
Trochisci et Tabellæ	64
Pilulæ	66
Electaria	68
Aquæ medicamentosæ	75
Olea per Infusionem et Decoctionem	76
Emplastra	77
Unguenta et Linimenta	81
Cerata	86
Epithemata	87

PHARMA-

M.

ge 1
2
6
9
10
11
ibid.
14
ibid.
16
24
25
us 33
37
41
44
51
52
57
59
64
66
68
75
76
77
81
86
87

MA-

PHARMACOPOEIA LONDINENSIS.

PONDERA et MENSURÆ.

APUD noſtrates in uſu ſunt duo ponderum genera, unum, quo aurum et argentum veneunt, alterum, quo cæteræ ferè merces; prius linguâ vernaculâ vocamus *Troy weight*, poſterius *Averdepois weight*. Horum libræ diverſo modo dividuntur; illius enim libra duodecim tantùm uncias habet, hujus verò ſedecim. Pondere quoque differunt, tum libræ, tum unciæ; libra aurifabrorum minor eſt alterâ, uncia major.

Nos librâ aurifabrorum utimur; quam tamen, non ut iſti opifices, ſed in hunc modum dividimus:

Libra Uncia Drachma Scrupulus	habet	uncias duodecim, drachmas octo, ſcrupulos tres, grana viginti.

MENSURÆ liquidorum etiam apud noſtrates diſpares ſunt, aliis metiuntur cereviſiam, aliis vinum; poſteriores nos adhibemus, et eam vocamus libram, quæ linguâ vernaculâ appellatur *A wine pint*.

Hanc libram hac ratione dividimus:

Libra Uncia	habet	uncias ſedecim, drachmas octo.

Congius habet libras octo.

Cochleare denotat menſuram unciæ dimidiæ.

QUONIAM menſuram, quam vocamus libram, nullius ferè liquoris pondus librale adimplet; ubique præfiximus P. vel M. prout pondere, vel menſurâ res unaquæque præſcribitur.

MATERIA MEDICA.

A.

Abrotani folia.
Abſinthii marititimi ſummitates.
Abſinthii vulgaris folia.
Acaciæ.
Acetum.
Æruginis.
Agaricus.
Allium.
Aloe Socotorina.
Althææ radix, folia.
Alumen.
Ammeos ſemen.
Amomi ſemen.
Amygdalæ amaræ.
Amygdalæ dulces.
Anethi ſemen.
Angelicæ radix ab Hiſpaniâ, caules, folia, ſemen.
Aniſi ſemen.
Antimonium.
Argentum.
Argentum vivum.
Ari radix.
Ariſtolochiæ longæ radix.
Ariſtolochiæ tenuis radix.
Artemiſiæ folia.
Aſa fœtida.
Aſari folia.
Atriplicis ſolida folia.
Aurantiorum Hiſpalenſium flaccus, et cortex.
Axungia porcina.

B.

Balauſtia.
Balſamum Copaiva.
Balſamum Peruvianum.
Balſamum Tolutanum.
Bdellium.
Becabungæ folia.
Benzoinum.
Bryoniæ radix.
Bitumen judaicum.
Bolus Armena.
Bolus Gallica.
Borax.
Buxi lignum.

C.

Calami aromatici radix.
Calaminthæ

Calaminthæ folia.
Calx.
Camphora.
Cancrorum chelæ.
Cancrorum oculi dicti.
Canella alba.
Cantharides.
Cardamomi minoris semen.
Cardui benedicti folia.
Carica.
Carpobalsamum.
Carui semen.
Caryophylla aromatica, et oleum eorum stillatitium sive essentiale.
Caryophylla rubra.
Cassia fistularis.
Castoreum Rusticum.
Casamunar.
Centaurii minoris summitates.
Cepa.
Cera alba.
Cera flava.
Ceruſſa.
Chalybs.
Chamædryos summitates cum semine.
Chamæmeli folia, flores.
Chamæpityos folia.
Cineres Rustici.
Cinnamomum, et oleum ejus stillatitium sive essentiale.
Coccinella.
Cochleariæ hortensis folia.
Colocynthidis medulla.
Contrayervæ radix.
Corallium rubrum.
Coriandri semen.
Cornu cervi.
Costus.
Creta.
Crocus.
Cubebæ.
Cucumis agrestis.
Cuprum.
Curcuma.
Cydonia mala, eorumque semina.
Cymini semen.
Cynosbati fructus.

D.

Dauci Cretici semen.
Dictamni Cretici folia.

E.

Elatines folia.
Eleutheriæ cortex.
Enulæ campanæ radix.
Eryngii radix.

F.

Ferrum.
Fœni Græci semen.
Fœniculi dulcis semen.
Fuligo lignorum combustorum.

G.

Galbanum.
Gallæ.
Gambogia.
Gentianæ radix.
Gladioli lutei radix.
Glycyrrhiza.

Granati cortex.
Guaiaci lignum, cortex, gummi.
Gummi Ammoniacum.
Gummi Arabicum.
Gummi Elemi.

H.

Hederæ terreſtris folia.
Hellebori albi radix.
Hellebori nigri radix.
Hordeum diſtichum.
Hordeum perlatum dictum.
Hyperici folia, flores.
Hypociſtidis ſuccus.
Hyſſopi folia.

J.

Jalapii radix.
Ipecacoanhæ radix.
Iridis radix.
Juncus odoratus.
Juniperi baccæ.

K.

Kermes ſuccus.

L.

Labdanum.
Lamii albi flores.
Lapis Bezoar orientalis.
Lapis Calaminaris.
Lapis Hæmatites.
Lavendulæ flores.
Lauri folia, baccæ.
Lichen cinereus terreſtris.
Lignum Rhodium.
Lignum tinctile Campechenſe.
Limonum ſuccus, cortex, et eſſentia dicta.
Lini ſemen.
Lithargyrus.
Lujulæ folia.

M.

Macis.
Marjoranæ folia.
Malabathrum folium.
Malvæ folia, flores.
Manna.
Margaritæ.
Mari Syriaci folia.
Mari vulgaris folia.
Marrubii folia.
Maſtiche.
Matricariæ folia.
Mel.
Meliſſæ folia.
Menthæ piperitidis folia.
Menthæ vulgaris folia.
Meum Athamanticum.
Millepedæ.
Minium.
Morum.
Moſchus.
Myrrha.

N.

Napi ſemen.
Nardus Celtica.
Nardus Indica.
Naſturtii aquatici folia.
Nepetæ folia.
Nicotianæ folia.
Nitrum.

Nitrum.
Nux moſchata, et oleum ejus ſtillatitium ſive eſſentiale, oleumque expreſſum, macis vulgò dictum.

O.

Oleum olivarum.
Olibanum.
Opobalſamum.
Opopanax.
Origani folia.
Oſtreorum teſtæ.
Ovum gallinaceum.

P.

Pæonia.
Papaveris albi capita, ſuccus concretus ſive opium.
Papaveris erratici flores.
Paralyſis flores.
Parietariæ folia.
Pentaphylli radix.
Peruvianus cortex.
Petroleum Barbadenſe.
Petroſelini Macedonici ſemen.
Petroſelini vulgaris ſemen.
Pimpinellæ ſaxifragæ radix.
Piper album.
Piper Jamaicenſe.
Piper longum.
Piper nigrum.
Pix arida.
Pix Burgundica.
Pix liquida.
Polii ſummitates.
Pruna Gallica.
Pruna ſilveſtria.
Pulegii folia.
Pyrethri radix.

R.

Raphani ruſticani radix.
Rhabarbarum.
Roriſmarini ſummitates, flores.
Roſa Damaſcena.
Roſa rubra.
Rubia tinctorum.
Rubi Idæi fructus.
Rutæ folia.

S.

Sabinæ folia.
Saccharum puriſſimum.
Saccharum rubrum.
Sagapenum.
Sal Ammoniacus.
Sal catharticus amarus.
Sal gemmæ.
Sal marinus.
Salviæ folia.
Sambuci flores, baccæ.
Sanguis draconis.
Santalum rubrum.
Sapo durus.
Sapo mollis.
Sarcocolla.
Sarſaparillæ radix.
Saſſafras radix, ejuſque cortex.
Scammonium.
Scilla.

Scincorum ventres.
Scordii folia.
Senæ folia.
Serpentariæ Virginianæ radix.
Sefelis ſemen.
Sevum ovillum.
Sinapis ſemen.
Sperma ceti dictum.
Spinæ cervinæ baccæ.
Spiritus vinoſus rectificatus.
Spiritus vinoſus tenuior.
Spongia.
Stannum.
Stœchas.
Styrax calamita.
Succinum.
Sulphur.

T.

Tamarindus.
Tanaceti folia.
Tartarum.
Tartari cryſtalli.
Terebinthina Argentoratenſis.
Terebinthina Chia.
Terebinthina communis.
Terra Japonica.
Thlaſpis ſemen.
Thus.
Thymi citrati folia.
Tiliæ flores.
Tormentillæ radix.
Tragacantha.
Trichomanis folia.
Trifolii paludoſi folia.
Tritici farina, et amylum.
Tutia.

V.

Valerianæ ſilveſtris radix.
Vinum album.
Vinum Canarinum.
Vinum Rhenanum.
Vinum rubrum.
Viola.
Vipera.
Vitriolum album.
Vitriolum cæruleum.
Vitriolum viride.
Uvæ paſſæ.

Z.

Zedoaria.
Zingiber, ejuſque conditura.

PRÆPARATIONES SIMPLICIORES

TERREORUM, ALIORUMQUE, QUÆ AQUA NON DISSOLVUNTUR, CORPORUM PRÆPARATIO.

PRIMUM pulverentur hæc corpora in mortario, deinde lævigentur in pulverem ſubtiliſſimum ſuper marmore expolito et duro cum paululâ aquâ, poſtea exſiccen-

tur ſuper lapidem cretaceum, denique in loco tepido ſeponantur, vel ſaltem probè ſicco, per aliquot dies.

Hoc modo in pulverem redigenda ſunt

Ærugo,
Antimonium,
Chelarum cancrorum apices,
Corallium,
Creta,
Lapis bezoar, qui inter lævigandum ſpiritu vinoſo humectetur,
Lapis calaminaris ab iis, qui orichalcum conficiunt, calcinatus,
Lapis hæmatites,
Margaritæ,
Oculi dicti cancrorum,
Oſtreorum teſtæ a ſordibus priùs purgatæ,
Ovorum teſtæ, membranâ adhærente priùs coquendo ſeparatâ,
Succinum,
Tutia.

In antimonio, lapide calaminari, et tutiâ cura ſingularis adhiberi debet, quò in pulverem quàm maximè ſubtilem redigantur.

AXUNGIÆ PORCINÆ, SEVIQUE OVILLI CURATIO.

In fruſtula conciſa leni igne liquentur, paululâ aquâ adjectâ; deinde colando a membranis ſeparentur.

AXUNGIÆ VIPERINÆ CURATIO.

Adipem ab inteſtinis ſeparatum lento igne liqua; deinde per linteum tenue exprimendo cola.

MELLIS DESPUMATIO.

Mel balneo liquefac, et ſpuma emergens auferatur.

SCILLÆ COCTIO.

Scillam, cortice exteriori detracto, parteque duriori,

riori, cui radiculæ adhærent, abjectâ, farinâ tritici ſubactâ involve, et in clibano coque, donec farina probè ſiccata ſit, et ſcilla undique fiat tenera.

SCILLÆ EXSICCATIO.

Scillam, ablato externo cortice, tranſverſim in taleolas tenues ſeca, et leniſſimo calore exſicca.

RHABARBARI et NUCIS MOSCHATÆ TORREFACTIO.

Torreantur leni calore, donec reddantur facile friabiles.

SPONGIÆ USTIO.

Spongiam ure in vaſe fictili clauſo, donec nigreſcat, et friabilis fiat; deinde mortario vitreo vel marmoreo in pulverem redige.

CORNU CERVI CALCINATIO.

Cornu cervini fruſta urantur in furno figulorum, donec penitus albeſcant; deinde rediganter in pulverem eodem modo, quo cætera corpora terrea.

PULPARUM EXTRACTIO.

Fructus pulpoſi, ſi immaturi ſint, vel maturi et ſicci, coquantur paululâ aquâ, ut molleſcant; deinde pulpam per cribrum ſetaceum exprime; poſtea in vaſe fictili coque lento igne, crebrò agitans, ne aduratur, donec debitam ſpiſſitudinem habeat.

Item caſiæ ſiſtularis pulpa ex ſiliquâ contuſâ excoquenda eſt, deinde aquam evaporando ad idoneam ſpiſſitudinem reducenda

Fructuum maturorum et recentium pulpæ per cribrum exprimantur, nullâ coctione præmiſſâ.

STYRACIS COLATIO.

Styracem calamiten coque in aqua, donec molleſcat; deinde prelo exprimatur inter lamiuas ferreas tepefactas, et ſtyrax purificatus ab aquâ ſeparetur.

OPIUM

OPIUM COLATUM, vel EXTRACTUM THEBAICUM.

℞ Opii in fruſtula conciſi ℔. libram unam; diſſolve in pulpam in aquæ bullientis menſurâ libræ unius, cautè evitans empyreuma; et, dum adhuc calet, forti expreſſione per pannum linteum fæces ſeparentur; denique balnei, vel alio leni calore, opium colatum ad priſtinam craſſitudinem reducatur.

Opium paululâ aquâ ita emollitum per colum tranſit integrum, ſolis fæcibus relictis; ſin autem multâ aquâ diſſolvatur, pars reſinoſa a gummoſâ ſeparabitur.

EODEM modo purificantur reliqua gummi, ammoniacum, aſa fœtida, galbanum, et alia. Sed major aquæ copia ſine damno adhiberi poteſt. Si reſinoſa pars ſubſidat, eximatur, et circa finem inſpiſſationis denuo adjiciatur, ut cum reliquis gummi partibus in unam maſſam coeat.

Gummi quodvis facilè liqueſcens, quale eſt galbanum, etiam purificari poteſt immittendo in veſicam bubulam, tenendoque in aquâ bulliente, donec adeò molle fiat, ut per pannum cannabinum a ſordibus prelo exprimatur.

MILLEPEDARUM PRÆPARATIO.

Millepedæ panno cannabino rariori incluſæ ſuſpendantur in vaſe clauſo ſuper ſpiritum vinoſum calefactum, ut a vapore necatæ friabiles reddantur.

CONSERVÆ.

Foliorum { Cochleariæ Hortensis, Lujulæ, Menthæ vulgaris, Rutæ;

Summitatum Absinthii maritimi;

Florum Lavendulæ,

Florum

FLORUM { MALVÆ, RORISMARINI, ROSARUM RUBRARUM IMMATURARUM

FLAVEDINIS CORTICUM AURANTIORUM HISPALENSIUM.

FOLIA ex pediculis, floresque ex calycibus decerpe flavedinem corticum aurantiorum radulâ abrade; tu singula pistillo ligneo contunde in mortario marmore primùm per se, deinde cum sacchari puriſſimi trip pondere, donec optimè misceantur.

CONSERVA FRUCTUS CYNOSBATI.

℞ Pulpæ fructûs cynosbati maturi P. libram unam Sacchari puriſſimi P. uncias viginti.

MISCEANTUR, ut fiat conſerva.

CONSERVA PRUNORUM SILVESTRUM.

PRUNA in aquam immissa super ignem impone, u mollescant, cautione adhibitâ, ne rumpantur; dei exemptis ex aquâ prunis, pulpam exprime, et trip pondere sacchari puriſſimi misce.

CONDITA.

RADIX ERYNGII CONDITA.

RADICES coque, donec cortex facilè auferri possi tum, eo ablato, per medium scindantur radices, et, me dullâ exemptâ, ter quaterve aquâ frigidâ abluantur deinde in singulas radicum libras accipe sacchari pu riſſimi libras duas; quod aquâ liquatum igni impone et, cùm primùm bullire incipit, injice radices, et c que, donec tenerescant.

EODEM modo condiuntur Angelicæ caules.

CORTEX AURANTIORUM CONDITUS.

CORTICES aurantiorum Hiſpalenſium recentes aquâ sæpius mutatâ macera, ut amaritudinem dimi tant

tant; tum coque cum ſaccharo puriſſimo aquâ liquato, donec teneri et pellucidi fiant.

EODEM modo condiuntur Limonum cortices.

SUCCI.

SUCCI SCORBUTICI.

℞ Succi Cochleariæ hortenſis M. libras duas,
Becabungæ,
Naſturtii aquatici, ſingulorum M. libram unam,
Aurantiorum Hiſpalenſium M. uncias viginti.

MISCE, et poſtquam fæces ſubſederint, effunde, vel cola.

ROB BACCARUM SAMBUCI.

SUCCUS baccarum ſambuci defæcatus leni igne inſpiſſetur.

ELATERIUM.

CUCUMERES agreſtes maturos ſcinde, et ſuccum leviſſimè expreſſum trajice per ſetaceum tenuiſſimum in vas vitreatum; deinde per aliquot horas ſepone, donec craſſiorem partem depoſuerit. Pars tenuior ſupernatans effundatur vaſis inclinatione, et, quod reliquum erit, filtrando ſeparetur. Craſſiorem verò partem, quæ reſtat, panno linteo coopertam ſoli, vel alii lenì calori expone, donec exaruerit.

EXTRACTA et RESINÆ.

EXTRACTA
- RADICUM
  - ENULÆ CAMPANÆ,
  - GENTIANÆ,
  - HELLEBORI NIGRI;
- FOLIORUM
  - RUTÆ,
  - SABINÆ.

IN aquâ coque, exprimendo cola, et ſepone, ut fæces ſubſidant; deinde in pilularum craſſitudinem decoque, circa finem cautè evitato empyreumate.

EXTRAC-

EXTRACTUM GLYCYRRHIZÆ.

GLYCYRRHIZAM recentem in aquâ leviter coq: aquam exprimendo cola, et poſtquam fæces ſubſe rint, decoque, donec digitis non cohæreſcat, circa nem cautè evitato empyreumate.

EXTRACTUM LIGNI CAMPECHENSIS.

℞ Ligni tinctilis Campechenſis in pulverem redact libram unam.

COQUE quater, vel ſæpius, in aquæ congio uno dimidium; deinde liquores ſimul mixti et colati juſtam craſſitudinem decoquantur.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI, MOLLE et DURUM.

℞ Corticis Peruviani in pulverem redacti P. libr unam,

Aquæ M. libras decem vel duodecim.

COQUE per unam aut alteram horam, et liq rem effunde, qui tunc ruber erit, et pellucebit; c friget verò flaveſcet, et turbidus fiet; eâdem aq menſurâ iterum affuſâ, denuo coque, ut priùs, co onem repetens, donec liquor frigefactus maneat l pidus: deinde liquores hi omnes mixti et colati juſtam craſſitudinem ſuper ignem leniſſimum vapore cautè evitato empyreumate.

Hoc extractum ſub duplici formâ præparandum e molliori ad pilulas formandas aptâ, et duriori, quæ pulverem teri poſſit.

EXTRACTUM LIGNI GUAIACI, MOLLE DURUM.

℞ Ligni guaiaci raſi P. libram unam.

COQUE quater, vel ſæpius, in aquæ congio uno dimidium; liquores colati coquendo inſpiſſentur; c verò aqua ferè tota exhalaverit, addendum eſt pau lum ſpiritûs vinoſi rectificati, quò extractum in m ſam uniformem et tenacem reducatur.

Hoc etiam extractum ſub duplici formâ, molli et duriori, præparandum eſt.

EXTRA

EXTRACTUM JALAPII.

Radici jalapii in pulverem redactæ affunde ſpiritum vinoſum rectificatum, debitoque calore extrahatur tinctura; et reſiduum aliquoties in aquâ coque: ſpiritum ex tincturâ priori colatâ abſtrahe, donec ſpiſſari incipiat; item aquas colatas coque ad ſimilem craſſitudinem: deinde extracta miſce, et leni igne in pilularum ſpiſſitudinem redige.

EXTRACTUM CATHARTICUM.

℞ Aloës Socotorinæ p. ſeſcunciam,
Medullæ colocynthidis p. drachmas ſex,
Scammonii,
Seminum cardamomi minoris decorticatorum, ſingulorum p. unciam dimidiam,
Spiritûs vinoſi tenuioris m. libram unam.

Colocynthidi minutim inciſæ, ſeminibuſque contuſis affuſo ſpiritu vinoſo, leni calore per quatriduum macera; tincturæ expreſſæ adde aloën et ſcammonium ſeparatim in pulverem redactam; his ſolutis, ſpiritum abſtrahe, et maſſam redige in pilularum craſſitudinem.

GUMMI et RESINA ALOËS.

℞ Aloës Socotorinæ p. uncias quatuor,
Aquæ m. libras duas.

Coque, donec aloë, quantum fieri poteſt, ſoluta fuerit, et ſepone per noctem; reſina ad vaſis fundum præcipitabitur; liquor ſupernatans, ſi opus, colatus, admoto igne, vaporando conſumatur, ut relinquatur gummi.

NOTA.

Si extracti conficiendi major ſit copia, balnei calore commodiſſimè ſpiſſatur.

Omnia verò extracta aquoſa paululo ſpiritu vinoſo irrorentur, ne ſitim contrahant.

OLEA per EXPRESSIONEM.

OLEUM AMYGDALINUM.

Amygdalæ, vel dulces vel amaræ, recentes in mortario lapideo terantur; deinde prelo, sed non calefacto, exprimatur oleum.

EODEM modo exprimendum est oleum ex seminibus Lini, et Sinapis.

OLEA per DISTILLATIONEM.

OLEA ESSENTIALIA.

Ex Radice Sassafras;

Ex Ligno Rhodio;

Ex Foliis { Absinthii, Majoranæ, Menthæ { piperitidis, vulgaris, Origani, Pulegii, Rorismarini, Rutæ, Sabinæ;

Ex Floribus { Chamæmeli, Lavendulæ;

Ex Seminibus { Anethi, Anisi, Carui, Cymini;

Ex Baccis Juniperi;

Ex Aromatibus { Caryophyllis aromaticis, Nuce moschata, et aliis.

Hæc olea eliciuntur distillatione ex alembico cum vase frigidario satis amplo. Ad præcavendum empyreuma, materiæ addenda est aqua, in quâ ea macera-

maceranda eſt ante diſtillationem. Oleum unà cum aquâ egreditur, et vel innatat, vel fundum petit, prout levius vel ponderoſius eſt.

OLEUM BUXI.

Buxi fragmenta in retortâ igne arenæ gradatim aucto diſtilla: cum ſpiritu acido prodibit oleum infundibulo a ſpiritu ſeparandum.

OLEUM LATERITIUM.

Lateres candefactos oleo olivarum immerge, donec omne oleum imbiberint: tum exemptos confringe, ut in retortam immittantur; et, igne arenæ gradatim aucto, prodibit oleum cum ſpiritu, qui ſeparandus eſt.

OLEUM PETROLEI BARBADENSIS.

Petroleum Barbadenſe diſtilletur igne arenæ, et oleum cum ſpiritu aſcendet.

OLEUM TEREBINTHINÆ.

Terebinthina cum aquâ diſtilletur ex veſicâ cupreâ, ut olea vegetabilium eſſentialia.

Post diſtillationem remanet in veſicâ Reſina flava.

Hoc oleum ſæpe, quamvis impropriè, ſpiritus terebinthinæ vocatur.

OLEUM TEREBINTHINÆ ÆTHEREUM, et BALSAMUM.

Oleum terebinthinæ diſtilletur ex retortâ leniſſimo igne, donec, quod reſtat, balſami craſſitudinem acquiſiverit.

Balsamum terebinthinæ etiam diſtillari poteſt ex reſinâ flavâ, unde, poſt oleum tenuius, quod ſeparatim auferri debet, prodibit balſamum craſſum, remanente in fundo retortæ Reſinâ nigrâ vel Colophoniâ.

OLEUM COPAIVÆ COMPOSITUM.

℞ Balſami copaivæ P. libras duas,
Gummi guaiaci P. uncias quatuor.
Distillatione ex retortâ eliciatur M. libra una.

SALES, et SALINA.

NITRUM PURIFICATUM.

Nitrum in aquâ coquatur, liquor per chartam colatur, deinde poſt idoneam exhalationem ſeponetur in loco frigido, ut nitrum in cryſtallos concreſcat.

EODEM modo purificatur Sal Ammoniacus.

ALUMEN USTUM.

Alumen in vaſe fictili vel ferreo calcinetur, quamdiu effervescit ac tumet.

VITRIOLUM CALCINATUM.

Vitriolum viride in vaſe fictili igne aperto calcinetur, donec probè exſiccatum fuerit: deinde fracto vaſe eximatur, et ſervetur ad uſum in vaſe bene clauſo. Vitriolum optimè calcinatur, ſi in fundo, et ad vaſis latera rubeſcat.

SAL ABSINTHII.

Absinthii cremati cinis in ollâ ferreâ, vel quovis vaſe commodo, igne ſuppoſito, per horas aliquot bene incandeſcat; move ſubinde, ut omne oleum exuratur; tum in aquâ coquatur, et aqua per chartam colata evaporetur, ut ſal ſiccus remaneat, qui reponatur in vaſe optimè clauſo.

EODEM modo paratur ſal alkalinus fixus ex aliis vegetabilibus, unde hic ſal educi poteſt.

SAL TARTARI.

Tartarum cujuſcunque ſpeciei, vel chartâ emporeticâ

M.

bra una.

A.

rtam co-
netur in

us.

, quam-

rto cel-
e fracto
ne clau-
, et ad

quovis
ot bene.
uratur;
colatu
atur in

ex aliis

empo-
retica

reticî madida involutum, vel vaſe idoneo incluſum, igni committatur, ut oleum omne exuratur; deinde coquendo in aquâ ſal elicitur, ut priùs.

LIXIVIUM TARTARI.

TARTARUM ad albitudinem calcinatum reponatur in loco humido, ut liqueſcat.

TARTARUM SOLUBILE.

℞ Salis cujuſvis alkalini fixi ℔. libram unam,
Aquæ congium unum.

SALI in aquâ bulliente ſoluto tartari cryſtallos gradatim injice, quamdiu efferveſcentiam excitant: quæ ſe ſe ceſſat, antequam triplum ſalis alkalini pondus ſit injectum: deinde liquorem per chartam cola, et poſt idoneam exhalationem ſepone, ut cryſtalli formentur; vel aquam penitus excoque, ut maſſa ſalina relinquatur.

LIXIVIUM SAPONARIUM.

℞ Cinerum Ruſticorum,
Calcis vivæ, pondera æqualia.

CALCI et cineribus aquam inſtilla, donec calx extincta ſit: tum, aquâ largius effusâ, bene peragita, ut cinerum ſalſedo liqueſcat: deinde quieſcere permitte, et liquorem, ſi opus ſit, per chartam colatum in aliud vas tranſfunde. Hujus liquoris menſura libralis cautiſſimè examinata uncias ſedecim pendere oportet. Si ponderoſior ſit, quot drachmis hoc pondus excedat, totidem ℔. ſeſcunciæ aquæ in ſingulas menſuras librales addendæ ſunt; ſin verò ſit levior, liquor decoquendus eſt, donec totidem ſeſcunciæ ſint conſumptæ; vel calci cineribuſque recentibus denuo affundendus.

SAPO AMYGDALINUS.

℞ Olei amygdalini recèns expreſſi quantum libuerit.
Lixivii ſaponarii jam dicti triplicem menſuram.

DIGERANTUR ſimul tanto calore, quo parum, aut vix ebulliant, et intra paucas horas coibunt; deinde liquor aliquantulùm coctus pellucidior et mucilaginoſus

fiet, qui gelatinæ instar frigefactus concrescet; tum salem marinum injice, dum liquor ebulliens non amplius fit mucilaginosus, et coctio continuetur, donec, guttis liquoris in tegulam demissis, aquam a sapone coagulato promptè secedere compertum sit; postea remove ignem, et sapo gradatim supernatabit, qui, antequam frigescat, auferri, et in formam ligneam, cui pannus sit pro fundo, immitti debet: tandem exemptus seponatur, ut justam crassitiem acquirat.

EODEM modo ex oleo olivarum sapo confici potest, purissimum autem oleum adhibendum est, ut sapo tum palato, tum ventriculo quam minimè ingratus sit.

CAUSTICUM COMMUNE FORTIUS.

LIXIVIUM saponarium supra dictum coque ad partem quartam; deinde calcem vivam, quæ in pulverem trita, cribrata, et vase vitreo subère obturato asservata fuerit ad plures menses, huic lixivio, dum adhuc ebullit, insperge, donec omnem liquorem absorpserit, ut fiat pasta, quæ vase optimè clauso servari debet.

CAUSTICUM COMMUNE MITIUS.

℞ Saponis mollis,
Calcis vivæ recentis, pondera æqualia.
Usus tempore probè miscentur.

ACETUM DISTILLATUM, vel SPIRITUS ACETI.

ACETUM distilletur leni calore, quamdiu gutta cadunt ab empyreumate pura.

SI aliqua pars spiritûs primum prodeuntis abjicitur, spiritus asservatus fortior erit.

SAL DIURETICUS.

℞ Salis cujuscunque alkalini fixi P. libram unam.

COQUATUR lenissimo igne in aceti distillati quadruplo, vel quintuplo; fermentatione cessante, plus aceti distillati diversis vicibus adjiciatur, donec, priore ace-

tes

Acidum Vitriolicum vulgo
Spt. Vitrioli Tenuis. Ph: Ed:
℞ Acidi Vitriolici P. partem
Aquae pond: partes septem
Misce.

Ph: Edin:
Acidum Nitrosum vulgo
Spt. Nitri Glauberi.
℞ Nitri purissimi lb:
Acidi Vitriolici p. lb:

fere vaporando absumpto, novum acetum additum nullam moveat fermentationem, quod fiet consumpto aceti distillati quasi pondere librarum viginti; postea lentè exsiccetur. Relinquetur sal impurus, qui leni igne aliquantisper, sed non nimis diu, liquefiat, deinde aquâ solvatur, et per chartam colatur. Si liquefactio ritè peracta sit, liquor colatus limpidus erit, et aquei coloris, in alter colo.is fusci. Denique lenissimo igne vapores hic liquor ex vase vitreo minimè profundo, sale, dum crescit, subinde moto, ut citiùs ad siccitatem perducatur; qui vasè optimè clauso asservari debet, ne ex aere liqueſcat.

Sal hoc candidissimum esse oportet, totumque tum aquâ, tum spiritu vinoso dissolvi, nullis faecibus relictis. Si tale, etiamsi album sit, in spiritu vinoso faeces aequas deponerit, eo spiritu solutus per chartam colandus est, iterumque exsiccandus.

SPIRITUS VITRIOLI TENUIS et FORTIS, atque COLCOTHAR.

Vitriolum calcinatum in vasis terreis igne reverbere per triduum distillatio. Liquore distillatitio retortæ vitreæ indito, et calore arenæ cribratæ, ascendet spiritus tenuis; et in retortâ remanebit spiritus fortis, qui vulgò oleum vitrioli, quamvis improprie, dicitur.

Quod restat in vasis terreis post primam distillationem, colcothar vitrioli vocatur.

SPIRITUS NITRI CLAUBERI.

℞ Nitri p. libras tres.

Spiritûs vitrioli fortis p. libram unam.

Caute et gradatim sub camino misceantur; postea fiat distillatio igne primùm leni, deinde fortiori

Acidum Nitrosum Tenue. h. Ld.

Acidi Nitrosi, SPIRITUS

Aquæ, ponderis æqualis.

Vaporibus noxiis caveas.

SPIRITUS SALIS MARINI GLAUBERI.

℞ Salis marini,
Spiritûs vitrioli fortis, singulorum P. libras duas,
Aquæ M. libram unam.

Sali adde gradatim sub camino spiritum vitrioli aquâ priùs mixtum; tum distillatio fiat primùm leni igne, deinde fortiori.

AQUA FORTIS.

℞ Nitri,
Vitrioli viridis non calcinati, singulorum P. libras tres,
Vitrioli ejusdem calcinati P. sesquilibram.

Probe misce, et igne fortissimo fiat distillatio, quamdiu vapor ruber exit.

AQUA FORTIS COMPOSITA.

℞ Aquæ fortis P. uncias sedecim,
Salis marini P. drachmam unam.

Distilla ad siccitatem.

SAL VITRIOLI.

℞ Vitrioli albi P. libram unam,
Spiritûs vitrioli fortis P. unciam unam,
Aquæ quantum satis sit.

Vitriolum coquendo solve, per chartam cola, et post idoneam exhalationem in loco frigido sepone, ut crystalli formentur.

TARTARUM VITRIOLATUM.

℞ Vitrioli viridis P. uncias octo,
Aquæ M. libras quatuor.

Vitriolo in aquâ bulliente soluto injice salem tartari, vel alium alkalinum fixum, donec omnis effervescentia cessat; quod ferè fit injecto salis pondere unciarum quatuor, vel aliquandò amplius: deinde per chartam cola, et post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli formentur.

NITRUM

RI.

duas,

vitrioli
m leni

. libras

tillatio,

NITRUM VITRIOLATUM.

Residuum post distillationem spiritûs nitri Glauberi solve aquâ calidâ, per chartam cola, et salem in crystallos redige.

SAL CATHARTICUS GLAUBERI.

Residuum post distillationem spiritûs salis marini Glauberi solve aquâ calidâ, per chartam cola, et salem in crystallos redige.

SPIRITUS SALIS MARINI COAGULATUS.

Spiritui salis marini Glauberi instilla lixivium salis cujuslibet alkalini fixi, donec omnis effervescentia cesset; deinde mixtura vaporet ad siccitatem.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

℞ Spiritûs vitrioli fortis, olei dicti, P. libram unam,
Spiritûs vinosi rectificati M. libram unam.

Caute et paulatim misceantur, leniſſimoque igne distillentur, donec spuma nigra incipiat se attollere: tum statim omnia ab igne amoveantur, ne haec spuma in recipiens transeat, omnemque laborem reddat irritum.

SPIRITUS NITRI DULCIS.

℞ Spiritûs vinosi rectificati M. libras duas,
Spiritûs nitri Glauberi P. libram dimidiam.

Misce infundendo nitri spiritum alteri, et distilla leni calore, quamdiu, quod prodit, fermentationem cum sale lixivioso non sufcitat.

SPIRITUS SULPHURIS PER CAMPANAM.

Incendatur sulphur sub vase vitreo ad hunc usum accommodato, cujus campana appellatur, et spiritus acidus distillet in vas vitreum subjectum.

SPIRITUS,

SPIRITUS, SAL, et OLEUM SUCCINI.

Succinum distilletur igne arenæ gradatim aucto: ascendent spiritus, oleum, et sal oleo inquinatus.

Oleum iterum per se distillando dividetur in oleum tenuius, quod ascendet; et in partem crassiorem remanentem, Balsamum succini dictam.

Sal coquendus est in spiritu proprio, vel in aquâ, et seponendus ad crystallos formandas: ita ab oleo adhærente mundabitur. Et quò sæpius hoc fit eò purior erit.

SPIRITUS, SAL, et OLEUM CORNU CERVI.

Ex cornu cervini fragmentis fiat distillatio, igne gradatim ad summum ferè aucto, ascendent spiritus, sal, et oleum.

Si, oleo separato, spiritus et sal simul mixti iterum leniſſimo calore distillentur, ambo puriores ascendent. Si hoc cautè aliquoties repetatur, sal fiet candidiſſimus, et spiritus instar aquæ limpidus, gratique odoris.

Sal a spiritu separatus, et sublimatus primùm ex æquali pondere cretæ puriſſimæ, deinde ex paululo spiritu vinoso rectificato, citiùs fit purus.

Cornu cervi calcinatum plerumque conficitur urendo cornua post hanc distillationem relicta.

EODEM modo spiritus, sal, et oleum extrahi possunt ex partibus quibusvis quorumcunque animalium.

SPIRITUS, SAL, et OLEUM FULIGINIS.

Ex ligni fuligine distillatio fiat, ut ex cornu cervi majore autem labore opus est, ut spiritus et sal reddantur puri.

SPIRITUS VOLATILIS SALIS AMMONIACI.

℞ Cretæ puriſſimæ p. libras duas,
Salis ammoniaci p. libram unam.
Sublima ex retortâ igne forti.

SPIRITU

Spt: Sal. Ammon: Ph: Ed.

℞ Salis ammon:
lixivii pacif: utriusq ℥ ʒ
aquæ uncias - - - - - - ℥ xii

SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

℞ Salis alicujus alkalini fixi P. ſeſquilibram,
Salis ammoniaci P. libram unam,
Aquæ M. libras quatuor.
DISTILLATIONE eliciatur leni igne menſura librarum duarum.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI DULCIS.

℞ Salis alicujus alkalini fixi P. libram dimidiam,
Salis ammoniaci P. uncias quatuor,
Spiritûs vinoſi tenuioris M. libras tres.
DISTILLATIONE eliciatur leni igne menſura ſeſquilibræ.

SPIRITUS VOLATILIS FOETIDUS.

℞ Salis cujuſvis alkalini fixi P. ſeſquilibram,
Salis ammoniaci P. libram unam,
Aſæ fœtidæ P. uncias quatuor,
Spiritûs vinoſi tenuioris M. libras ſex.
DISTILLATIONE eliciatur leni calore menſura librarum quinque.

SPIRITUS VOLATILIS AROMATICUS.

℞ Eſſentiæ limonum,
Olei nucis moſchatæ eſſentialis, ſingulorum P. drachmas duas,
Olei caryophyllorum aromaticorum eſſentialis P. drachmam dimidiam,
Spiritûs ſalis ammoniaci dulcis M. libras duas.
DISTILLA igne leniſſimo.

RESINOSA

RESINOSA, et SULPHUREA.

FLORES BENZOINI.

BENZOINUM in pulverem tritum ollæ figulinæ in arenâ locatæ immittatur, et leni calore flores sublimentur in conum chartaceum ollæ adaptatum.

VEL benzoinum retortæ immittatur, et leni igne flores in retortæ collum ascendent.

FLORES flavedine inquinati terrâ Cimoliâ albâ mixti denuo sublimentur.

FLORES SULPHURIS.

SUBLIMETUR sulphur ex vase idoneo, et flores, qui concrescant, reducantur in pulverem molâ ligneâ, vel ligneo pistillo in mortario marmoreo.

FLORES SULPHURIS LOTI.

FLORIBUS sulphuris affundatur aqua ad altitudinem quatuor digitorum supra flores, et coquantur aliquamdiu; deinde hanc aquam effunde, et, frigidâ affusâ, penitus ablue; denique flores siccentur, ad usum.

BALSAMUM SULPHURIS SIMPLEX.

FLORES sulphuris cum quadruplo olei olivarum pondere coquantur in ollâ leviter tectâ, donec coëant in balsami crassitudinem.

EODEM modo cum petroleo Barbadensi fit balsamum sulphuris Barbadense.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

FLORES sulphuris cum triplo calcis vivæ pondere coquantur in aquâ ad solutionem sulphuris, et liquor per chartam

chartam coletur ; deinde, ſpiritu vitrioli tenui addito, præcipitabitur pulvis, qui ſæpius affuſâ aquâ lavandus eſt, donec omnino inſipidus fiat.

AQUA SULPHURATA.

℞ Aquæ M. libras duas,
Sulphuris P. libram dimidiam.

SULPHURIS portio aliqua in cochleari ferreo incenſa ſuſpendatur ſuper aquam in vaſe clauſo ; et, fumo reſidente, idem toties repetatur, donec totum ſulphur ſit conſumptum.

METALLICA.

CHALYBIS RUBIGO PRÆPARATA.

LIMATURA chalybis aëri expoſita humectetur ſæpius aceto, vel aquâ, donec in rubiginem convertatur; deinde tere in mortario, et affuſâ aquâ pulverem ſubtiliſſimum abluas : reſiduum verò, quod modico tritu in pulverem facilè abluendum non redigitur, humectatum aëri diutius expone ; et denuo in mortario tritum abluc, ut priùs. Pulvis ablutus ſiccandus eſt, et aſſervandus.

CHALYBS cum SULPHURE PRÆPARATUS.

CHALYBS igne acerrimo excandefactus bacillo ſulphuris admoveatur, ut liqueſcat, et guttatim in aquam ſuppoſitam decidat ; deinde ſeparetur a ſulphure ſimul in aquam defluente, et in pulverem ſubtiliſſimum redigatur.

FLORES MARTIALES.

℞ Colcotharis vitrioli viridis loti, vel limaturæ ferri P. libram unam.
Salis ammoniaci P. libras duas.

Mixta ſublimentur ex retortâ, et, quod in retort fundo reſtat, cum floribus ſimul terendo miſce, iterumque ſublima, ut flores colorem pulchrè flaveſcente acquirant.

Residuo tandem addere licet ſalis ammoniaci libram dimidiam et ſublimationem denuo inſtituere idemque repetere, quamdiu flores bene colorati ſunt.

LIXIVIUM MARTIS.

Residuum poſt florum martialium ſublimationem loco humido ſeponatur, et liquor defluens ſervetur ad uſum.

SAL MARTIS.

℞ Spiritûs vitrioli fortis, olei dicti, p. uncias octo
Limaturæ ferri p. uncias quatuor,
Aquæ m. libras duas.

Misce, et, ceſſante ebullitione, ſtet mixtura ad quamdiu ſuper arenam calidam; deinde liquorem e fuſum per chartam cola, et poſt idoneam exhalationem ſepone, ut cryſtalli formentur.

CAUSTICUM LUNARE.

Argentum purum duplo circiter pondere aqu fortis ſuper arenam calidam ſolve; deinde, calore l niter aucto, exſicca; poſtea in crucibulo liquefac in formas idoneas effundatur, cautè evitato nim igne, ne materia ultra modum craſſeſcat.

SACCHARUM SATURNI.

Coque ceruſſam in aceto diſtillato, vaſe plumb donec acetum ſatis dulceſcat; deinde acetum p chartam cola, et poſt idoneam exhalationem ſepo ut cryſtalli formentur.

LAPIS MEDICAMENTOSUS.

℞ Aluminis,
Lithargyri,
Boli Armeniæ, aut Gallicæ, ſingulorum p. libr dimidiam,

Cola

Colcotharis vitrioli viridis P. uncias tres,
Aceti M. uncias quatuor.
MISCE, et exſicca, donec indureſcat.

STANNUM PULVERATUM.

STANNUM liquefactum in pixidem effundatur ligneam intus cretatam, quâ celeriter ſuccuſſâ reducetur pars ſtanni in pulverem: reliquum iterum liquefactum eodem modo tractetur, donec totum in pulverem ſit redactum.

ARGENTI VIVI PURIFICATIO.

DISTILLA e retortâ; deinde ſordes aquâ ſalsâ, vel aceto ablue.

AURUM MUSIVUM.

℞ Stanni P. libram unam,
Florum ſulphuris P. uncias ſeptem,
Salis ammoniaci,
Argenti vivi purificati, ſingulorum P. libram dimidiam.

STANNO liquefacto adde argentum vivum: poſtquam mixtura refrixerit, in pulverem redigatur, ſulphuri ſalique ammoniaco bene miſceatur, et ſublimatio fiat in matracio: invenietur aurum muſivum ſub materiâ ſublimatâ, cum ſordibus quibuſdam in fundo.

ÆTHIOPS MINERALIS.

℞ Argenti vivi purificati,
Florum ſulphuris illotorum, pondera æqualia.
TERANTUR ſimul in mortario vitreo, vel lapideo, donec unitas facta ſit.

CINNABARIS FACTITIA.

℞ Argenti vivi purificati P. uncias viginti quinque,
Sulphuris P. uncias ſeptem.
SULPHURI liquefacto argentum vivum immiſce, et, ſi mixtura flammam concipiat, extinguatur vas agendo; deinde in pulverem redigatur materia, et fiat ſublimatio.

MERCURIUS CORROSIVUS SUBLIMATUS, vel ALBUS.

℞ Argenti vivi purificati P. uncias quadraginta,
Salis marini P. uncias triginta tres,
Nitri P. uncias viginti octo,
Vitrioli viridis calcinati P. uncias sexaginta sex.

ARGENTUM vivum in vase ligneo vel lapideo un- ciâ, aut amplius, mercurii sublimati corrosivi jam co- fecti misceatur, dum in grana minuta fractum sit; de- inde cum nitro teratur, postea cum sale marino, don argentum vivum omnino apparere desinat; tum addat vitriolum calcinatum, quocum mixtura non nimis d conterenda est, ne argentum vivum iterum confun denique sublimatio fiat in matracio vitreo, cui, si place capiteilum aptes, ut spiritus, qui parvâ quantit prodit, servetur.

MERCURIUS DULCIS SUBLIMATUS.

℞ Mercurii corrosivi sublimati P. libram unam,
Argenti vivi purificati P. uncias novem.

MERCURIO sublimato trito adde argentum viv in matracio vitreo, et digerantur leni arenæ cal vitro sæpe agitato, donec coëant: deinde, auctо ca fiat sublimatio: materia sublimata, abjectâ parte fu riori acri, et globulis argenti vivi, siqui forte appare in pulverem redigatur, iterumque sublimetur; s sublimatio sexies repetenda est.

MERCURIUS CALCINATUS.

ARGENTUM vivum purificatum ponatur superi arenæ per plures menses in vase vitreo, latum fun parvumque foramen aëri patens habente, donec pulverem rubrum calcinetur.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

℞ Salis ammoniaci,
Mercurii corrosivi sublimati, pondera æqualia.

S

Solve simul in aquâ, per chartam cola, et solutione salis alicujus alkalini fixi præcipita; pulverem præcipitatum abluc ad perfectam dulcedinem.

MERCURIUS CORROSIVUS RUBER.

℞ Argenti vivi purificati,
Aquæ fortis compositæ, pondera æqualia.

Mixta in vase lati fundi incalescant igne arenæ, donec exsiccata massa rubicundum colorem acquisiverit.

MERCURIUS CORALLINUS.

Mercurio corrosivo rubro affunde triplum circiter pondus spiritûs vinosi rectificati, et leni calore digere per duos vel tres dies, vas sæpe succutiens; deinde spiritum accende, assiduè pulverem agitans, donec spiritus totus deflagraverit.

MERCURIUS EMETICUS FLAVUS.

Argento vivo purificato affunde in vase vitreo duplum pondus spiritûs vitrioli fortis; gradatim incalescat liquor, et deinde ebulliat, donec in fundo remaneat massa alba, quæ forti igne penitus exsiccanda est. Hæc massa, aquâ calidâ affusâ, statim flavescet, et in pulverem latescet. Teratur diligenter cum hac aquâ in mortario vitreo; et postquam pulvis subsederit, aquam effunde, et, recenti aquâ aliquoties affusâ, abluatur ad perfectam dulcedinem.

SULPHUR ANTIMONII PRÆCIPITATUM.

℞ Antimonii p. uncias sedecim,
Tartari p. libram unam,
Nitri p. libram dimidiam.

Separatim in pulverem redacta, bene misceantur; sensim immittatur mixtura in crucibulum candens, et liquetur forti igne; deinde effundatur in conum fusorium, et pars metallica, antimonii regulus vulgò dicta, undum petet, scoriis supernatantibus. Scorias in aquâ

ſolve, et liquorem per chartam cola; deinde ſalis marini ſpiritum inſtillando ſulphur præcipita, et poſtea a ſalibus aquâ ablue.

CROCUS ANTIMONII.

℞ Antimonii,
Nitri, pondera æqualia.

Separatim in pulverem trita probè miſceantur; deinde gradatim injiciatur mixtura in crucibulum candens, ut liquetur; materia effuſa ſeparetur a ſcoriis: varii erit coloris; eòque magis flaveſcet, quo diutius in igne liquata fuerit.

CROCUS ANTIMONII LOTUS.

Crocum in pulverem ſubtiliſſimum redactum aquâ coque; quâ abjectâ, denuo aquâ calidâ aliquoties ablue, donec omnino dulceſcat.

TARTARUM EMETICUM.

℞ Croci antimonii loti,
Cryſtallorum tartari, ſingulorum p. libram dimidiam.
Aquæ m. libras tres.

